

AD  
MEMORIAM ANNIVERSARIAM  
SERENISSIMORUM PRINCIPUM AC DOMINORUM  
DOMINI

**AUGUSTI**

PRIMATIS GERMANIÆ ET ADMINISTRATORIS  
MAGDEBURGENSIS  
DOMINI

**JOANNIS ADOLPHI. I.**  
DOMINI

**JOANNIS GEORGII**  
AC DOMINI

**CHRISTIANI**

DUCEM SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ MONTIUM ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ  
LANDGRAVIORUM THURINGIÆ MARCHIONUM MISNIÆ ET UTRIUSQUE LVSATIÆ  
COMITUM PRINCIPUM HENNEBERGIÆ COMITUM MARCÆ ET RAVENSBERGÆ  
ET BARBIÆ DYNASTARUM RAVENSTEINI RELIQUA,

*CLEMENTISSIMORUM QUONDAM PRINCIPUM AC NUTRITORUM J. A. MUNIFICENTISSIMORUM ET NUNC BEATISSIMORUM*

**SOLENNI ORATIONE**

IN ILL. AUGUSTEO D. IV. JUNII MDCCXLIII,  
PIE RECOLENDAM

PER ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINI-  
STROS RERUM PUBL. PROCERES LITERARUM OPTIMA-  
RUM FAUTORES ET CULTORES CIVESQUE  
ILLUSTR. AUGUSTEI

*OFFICIOSISSIME HUMANISSIMÆQUE*  
INVITAT

**M. CHRISTIANUS REINECCIUS, SS. TH. B.**  
CONSIL. SAXO-WEISSENE. ILLUSTR. AUGUSTEI RECTOR  
ET PROF. P.





Primum hominem DEUS *ἐν τῷ ἀφ' ἁρτίου* & ad immortalē vitam considerat, donis imaginis Divinæ ornaverat & de medio vitæ in hoc mundo conservandæ & prorogandæ prospexerat. Scilicet plantaverat DEUS hortum, & in ejus medio arborem vitæ posuerat, ut ejus usu homo sine debilitatione virium perpetuo viveret, (a) vivusque tandem in cælum ad cœlestia gaudia assumeretur. Sed illa vitæ paradisiacæ felicitas & perpœtuitas lapsu primorum parentum perditâ est, & relicta mortalibus tantum hujus felicitatis desiderium & vivendi cupido tanta, ut omnia quæ in facultatibus, opibus & thesauris homo habet pro proroganda vita dare non recuset. Quo etiam brevius vitæ tempus elapsum mortalibus videtur, eo longiores spes vitæ inchoant & dilatant. Ecce enim emensum vitæ spatium non breve videatur? Certe, sitoto quis tempore, ex quo millenaria numerare homines ceperunt, in hodiernum hunc usque diem vixisset, haut dubium est, quin hic ipse putaret, vitam suam non fuisse diuturnam, brevem fuisse, quia tempus sic evolasset, ut mille anni viderentur ipsi sicut dies præterlapsus hesternus & nudius tertius. Non ergo miramur, quod Jacobus Patriarcha ad Pharaonem Ægypti Regem dixerit: *Dies annorum peregrinationum mearum sunt 130. anni, pauci & mali sunt dies annorum vite mee, nec attingunt annos patrum meorum.* (b) Minusque miramur, si homines nostri ævi, quo nemo ad annos, quos Jacobus superavit, facile pertingit, dicant: pauci sunt dies annorum vitæ nostræ. Nam anni alioqui multi, si præterlapsi sunt, vix dies nominari merebuntur aut saltem videbuntur. Sit ætas annorum 50. 60. 70. 80. aut plurimum, quid est? breve est quod præterit tempus omne. Adde annos quos voles, age vitam longissimam, attinge senectutem extremam, experire bona, experire mala, quæ possis omnia, & semper meliora sperabis, volesque protrahere vitam, quia breve videtur tempus quod vixisti, exiguum quod præterit & quasi aufugit. Age, computa annos pueritiæ, quos sine humano propemodum sensu vixisti, & quasi in lusu contrivisti, & dies erunt quos vix ac ne vix quidem memineris, aut meminisse voles, dum infans ac puer puerilia tractans fueris. Numerâ annos, quos in labore consumisti, & dies erunt, quos lubentissime repeteres, in primis male locatos, ingemiscendo: ô mihi præteritos &c. Annuera annos, quos in dolore & mœrore, in curis, in ærumnis & molestiis sine somno & in somno transigisti, & dies erunt, pro quibus, postquam præterlapsi sunt, annos voles revocare feliciores. Tanto tenentur vitæ amore homines, tanto flagrant desiderio vivendi mortales, tanto immortalitatis sensu afficiuntur mentes mori nesciæ & in corpore nunquam satiæ annis. Et quid non superioribus seculis ab omni ævo moliti sunt homines pro vita conservanda & perpetuanda & pro ipsa immortalitate redi-cenda. Loquantur Medici. Quæ non viarum spatia & itinera emensis sunt terræ marique? Quas non peragrarunt regiones? Quos non superarunt montes? Quos non transierunt & colles & clivos & rupes? Quas non perlustrarunt silvas & arvâ & prata & hortos, ut præsentissima invenirent remedia adversus læthi impetus ipsamque mortem. Prodeant Panfophi, Hermetici, Chémici, bonè DEUS! quæ non moverunt lapidem ut Lapidem Philofophicum eruerent, nec poculum immortalitatis pararent & arcanum catholicum ex fumo extraherent, quo immortalis vita mortalibus

(a) Gen. 2. 8. 199. (b) Gen. 47, 9.

talibus conciliaretur & mors averteretur. Inter antiquissimos populos *Aegyptii* sunt, quos Patriarchæ *Aegyptum* ingredientes hanc artem Chemicam docuisse, eandemque exercuisse Mosen in destructione vituli aurei Exod 32, 20. cenfer *J. A. Hanne-mannus* (c) Hiis primis laudant *ISIDEM*, quam *ὕψους Sanitatis* Græci, & Romani *Salutis* nomine venerantur *ἡ τῆς ἐν ταῖς θεραπείαις ἐπιφάνεια*, eamque ajunt reperisse *τὸ τῆς ἀθανάσιος φάρμακον*, quo mortuum filium non tantum in vitam reduxit, sed etiam immortalitatis (si vera fabula est) participem fecit, quod *Diodorus Siculus* (d) narrat. Chineses pariter præ aliis populis *Astronomiæ*, *Medicinæ* & *Chemicis* artibus curiosisque aliis addicti laudantur, & medicamento-rum ad prorogandam vitam conducentium studiosissimi sunt. Hi *herbam*, quam *GIN-SENG* (e) vocant, hac virtute immortalitatem inducendi præditam commendant, eaque multos ad immortalitatis felicitatem profectos scribunt, quippe qui in *Spiri-tus* quasi conversi sint & in montibus oberrent, & quocunque voluerint avolent, cœ-lumque ipsum quotiescunque visum fuerit ascendunt. *Abdalla Beidavæus* in *Hi-storia Sinenfi* (f) refert tempore *Sinensium Regis Phudi*, qui successerat fratri *Xu-phi-di*, hanc herbam e latere maris *Orientalis* innotuisse, Regemque ei impense dedium fuisse. Primus autem quem *Sinæ* in numerum immortalium referunt, est imperator *Sinensis Hoangæ* (g), eumque quia in *Xin-sen* i. e. in angelum vel spiritum mutatus fer-tur, *Andr. Mullerus* in versione *Abdallæ Beidavæi* (h) vocat *Xin-sen*. Sed illa est magna hominum immortalium apud *Sinenses* felicitas, quod in *Xin-sen* i. e. angelos & spiritus conversi sint, hi quia invisibiles sunt, ab aliis hominibus (a nobis certe) nec videri possunt, nec quod dentur, credi: oberrant igitur, ut ajunt, si non in montibus, tamen in mentibus *Sinensium*. Sicut vero desiderium prorogandi vitam & non moriendi cupido exterarum regionum finibus contineri non potuit: ita nec illud studium avertendi mortem & inferendi immortalitatem terminis *Asiæ* & *A-fricæ* comprehensum fuit. *Claudius Galenus* (h) sui temporis notavit *Philosophum*

quem  
(c) in *Osculo Philof.* & *Th.* p. 7. (d) in *Biblioth. Hist.* l. 1. c. 25. (e) Nomen *Sinicum* huic herbæ a figura peti-tum est, divaricatis quippe cruribus hominem refert. *Gin*. enim *hominem* significat & *Seng* notat *figuram*. Et figuram hujus herbæ ex quodam volumine *Sinico*, quod habetur in *Bibliotheca Electorali Brandenburgica Berolinensi*, in typo exhibuit *Andr. Mullerus Greif.* in *Hebd.* observ. p. 35. Et aliquam herbæ hujus descriptionem dedit *Martinus* Atlante *Sin.*: *Mandragoram* nostratrem credas, nisi quod illa multo minor sit, quin illius tamen species sit aliqua nullus dubito, quippe quæ & formam & vim habeat. - ficcata radix flavescit - moribundis ita vitales quandoque vires reddit, ut sæpe illis adhuc tempus sit sumendis aliis medicamentis sanitatis recuperandæ. Mira alia de hac radice *Sinenses* prædicant. (f) p. 55. ed. *Andr. Mulleri* 1689. *Xuphidi* frater *Phudi* successit. Ejus tempore, ut ferunt e latere maris *orientalis* Herba innotuit, cujus usu diutissime viveretur: tamen potius stupe-faciat. Dicebatur enim homines ita angelos fieri. Rex vero impense huic herbæ deditus fuit &c. Ubi in notis additur: Imperator ab impostoribus deceptus, in terris æternæ vitæ præcepta sectabatur. Illi namque *Chimica* pergebant arte se non modo aurum atque argentum facturos polliceri, sed & medicinam, qua sumta viveret æternum & in *Xin-sen* (i. e. angelum & spiritum) mutaretur. &c. (g) *Vid. Mullerus* l. c. p. 24. (h) *Galenus* sunt in l. de *Sanit. c.* 12. & l. de *marasm.* c. 2 apud *Meibom* in ep. de *Longæv.* p. 19. Nostro seculo *Philosophus* quidam librum conscripfit, in quo, quonam quis modo posset senii expressi perpetuo permanere ostendit. Pollicebaturque se infantium qui ad hoc idonei essent corpora redditurum immor-talia, ubi ipse eorum curæ statim ab intimo præficere-tur.

quem *Henricus Meibomius* (i) eundem ipsum *Philippum* cujus *Actius* quoque meminere, fuisse haud dubitare voluit. Is peculiari libro professus est, se hanc artem amovendi mortem nosse, qua aliquis ita semper viribus valeat & vigeat, ut nunquam senio nedum morti obnoxius evadat. Sed octogenarium hunc *Philosophum* propria tandem docuit contraria experientia, decrepita senectus & secuta mors ipsa. Nihilominus exiterunt quovis tempore & alii, (k) qui eandem *a Savaria* vel quaesivisse vel promississe feruntur & nominantur *Arnoldus de Villa nova*, *Razmandus Lullius*, *Johannes Rupeffissa*, *Joh. Is. Hollandus*, *Basilus Valentinus*, *Theophrastus Paracelsus*, & sequaces plures, *Helmontii* & alii in Lapide *Philosophorum* educendo & conficiendo laborantes, quorum quidem artem medicam & Chemicam sobriam suo æstimo facile relinquimus; attamen aliquem *a Savarias* effectum non agnoscimus. Nam pleraque illorum molimina irrita deprehensa sunt, & exempla immortalium comparuerunt nulla. Ipsi & illorum *adepti* quos vocant vel verius decepti, non Patribus suis fuerunt meliores, sed ad patres abierunt, hodieque abeunt & impostum abibunt. Igitur magis quovis ævo solliciti esse cœperunt Sapientissimi quique tam inter gentes (l) quam inter Christianos & veros Dei cultores, ut, si non possent vitam perennare, tamen sui memoriam perpetuarent & ad omnem posteritatem transmitterent. Nec omne nominis sui memoriam perpetuandi studium si intra suos pietatis & modestiæ terminos se contineat, improbandum est. Nam inter præcipua Christianorum officia hoc quoque est, ea ut agant (m), quibus, non quidem inflentur ipsi & superbiunt, sed quibus inflammantur & doceantur alii, quæ que mereantur, ut ad imitationem commendentur posteris, & prædicentur. Quanto ergo majori cura & pietate Reverendissimus Administrator *Magdeburgensis D. AUGUSTUS* ejusque Filius Serenissimus *JOHANNES ADOLPHUS*, & Nepotes Serenissimi *JOH. GEORGIUS* & *CHRISTIANUS* Duces Saxonici & Nutricii quondam nostri Munificentissimi nunc beatissimi, in id incubuerunt, eaque gesserunt, quæ immortalæ apud posteros memoriam meruerunt. Tanto curatius, quod nostri jam officii est, agamus necesse est, & pia commemoratione *D. AUGUSTI & AUGUSTORUM* memoriam recolamus & celebremus. Quam pietatis nostræ solennitatem, ut Optimates tam Aulæ Serenissimæ, quam Civitatis amplissimæ nostrique Lycei Cives sua benevola præsentia dignentur, pia attentione comitentur piisque Manibus gloriosissimorum ac beatissimorum Principum nobiscum bene precentur, in primis etiam pro hodierni nostri Nutricii, Serenissimi Principis ac Domini, Domini *JOHANNIS ADOLPHI* Principis ac Domini nostri longe Clementissimi vitæ & incolumitate nobiscum orent, maximè opere rogamus. P. P. Domini. I. p. Trinit. MDCCXLIII.

(i) l. c. p. 18. (k) *V. Meibom.* l. c. p. 20. conf. *J. A. Fabricius* Bibl. Gr. vol. 3, c. 10. p. 66, de scriptis ehemicis quæ sub *Hermis* nomine extant, nec non vol. 12.

(l) Tantum legatur oratio *Ciceronis* pro *Archia Poeta* c. 11, & 12, ubi inter alia hæc leguntur: Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat præter hanc laudis & gloriæ, - infidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ stimulis concitat atque admonet, non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis, sed cum omni posteritate adæquandam.

- Ego v. omnia quæ gerebam jam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terræ memoriam sempiternam, &c. His & addantur quæ *Josephus Langius* in *Florileg.* M. collegit, & obvia passim sunt,

(m) *Matth.* 5, 16.

*Leucopetra*, literis G. A. Legii, Aul. & Aug. Typ.

Xa  
4281

AD  
MEMORIAM ANNIVERSARIAM  
SERENISSIMORUM PRINCIPUM AC DOMINORUM  
DOMINI

AUGUSTI

PRIMATIS GERMANIÆ ET ADMINISTRATORIS  
MAGDEBURGENSIS  
DOMINI

JOANNIS ADOLPHI. I.  
DOMINI

JOANNIS GEORGII  
AC DOMINI  
CHRISTIANI

DUCEM SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ MONTIUM ANGARIE ET WESTPHALIÆ  
LANDGRAVIORUM THURINGIÆ MARCHIONUM MISNIÆ ET UTRIUSQUE LVSATIÆ  
COMITUM PRINCIPUM HENNEBERGIÆ COMITUM MARCÆ ET RAVENSBERGÆ  
ET BARBIÆ DYNASTARUM RAVENSTEINI RELIQUA,

CLEMENTISSIMORUM QUONDAM PRINCIPUM AC NUTRITORUM J. A. MUNIFI-  
CENTISSIMORUM ET NUNC BEATISSIMORUM

SOLENNI ORATIONE

IN ILL. AUGUSTEO D. IV. JUNII MDCCXLIII,  
PIE RECOLENDAM

PER ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINI-  
STROS RERUM PUBL. PROCERES LITERARUM OPTIMA-  
RUM FAUTORES ET CULTORES CIVESQUE  
ILLUSTR. AUGUSTEI

OFFICIOSISSIME HUMANISSIME QUE  
INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS, SS. TH. B.  
CONSIL. SAXO-WEISSENF. ILLUSTR. AUGUSTEI RECTOR  
ET PROF. P.

